

CUSUS IN HONOREM CAROLI V.

IMP. EXPUGNATA PER MILITEM ROMA,
auspiciis Caroli Borbonij. Anno
Christi 1527.



Ræclarè se rebus consulturum suis statuebat Clemens VII. Pont. Rom. si fœdus Italiæ Principum, & maximarum civitatum constitueret: quo tutiores essent adversus ingruentem Cæsarem, & ad illum excludendum (nam hoc planè agebatur) validiores. Carolus vicissim nihil ad turbanda hujusmodi consilia prius habuit, quàm exercitum in Italiam quam primum mittere: quæ cunctis minaretur: Jubetur itaque Georgius à Fronsperg clarus eques, & notæ virtutis exercitum conscribere, quem ille contractum ocys ex Alpestestri Rhætia in Athesin vergente, sub initium anni 1527. in Italiam ducit. Fronspergio præter alios se adjungit, Carolus Borbonius Cæsareanorum copiarum præfectus, qui ab induciis cum Pont. Max. transigendis prorsus abhorrebat: incitabaturque à Ferrariæ Duce ad invadendam Romam: necessaria omnia pro exercitu clam ipsi subministrante. Pontifex videns Borbonium se contemnere, expeditoque cum exercitu ex agro Aretino rectà Romam contendere, urbis curam Laurentio à Cere Ursino committit: Romanos verò ad arma alacriter capienda, pecuniamque quâ miles conscriberetur, conferendam, adhortatur. Sed cum lentè hæc nulloque animorum ardore administrarentur: rebus omnibus ad urbis defensionem adhuc imparatis, Borbonius quinto Maij in ejus conspectum castra locat, posteroque die, ipsâ aurorâ, oppugnationem aggreditur: dumque Germanos frigidius pugnam ineuntes animaturus, arreptâ scalâ inter primos ascendens pugnam orditur, sclopetorum globis per cerebrum ac fœmur adactis mortuus concidit: Philiberto Challonio, Auranrij Principe juxta astante, ac longiore veste cadaver, ne ducis mortem miles perturbaretur, contegente. Cumque eo cadente, per duas horas veterani acriter pugnassent, tandem Germani & Hispani in suburbium, deinde in ipsam urbem erupere, desideratis cum Borbonio, mille viris, interfectis ve-
rò tam